


Carl Gottlob Hofmann

**De Connvbio Typico Salomonis Cvm Filia Pharaonis : In Vigiliis Fest.
Pentecostes An. MDCCLXII**

VVittebergae: Prelo Ephraim Gottlob Eichsfeldi[i] Academiae A Typis, [1762?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86220190X>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. b. 31.

65

480

Fa-1092 (65.)

1. Winckler (Jon. Diericq) ^{analecta ad historiam Coy-} 14. Taber, de dubio Iuris nat. lumine cum lumine spiritus sancti comparato.
2. Schott (Christoph. Frid.) de historia dogmatum 15. Reusius, de ecclesia Lutheranica.
3. Bathe (Jon. Aug.) de difficultate rei 16. Heilmann, de commodis ex sacrorum litterarum studio ad philosophiam redundantibus.
4. Telles (Wih. Strah.) episcopi scripturarum 17. Foersterchius, de possibilitate revelationis divinae.
5. Kessler (Jon. Baptist.) Georgii Calixti consilium de temporum emendatione ab emendatione studiorum academicorum petenda. 18. Sutfeldt, de iustitia confessionis ad usum necessitatem traditionum ex Math. 19. pugnantibus etc.
6. Christus magnus omnium pastor a mortuis rediit. 19. Pfeiffer de pontificiorum evanp. ca. veterum et recentiorum traditionum origine et auctoritate non divina sed nec humana.
7. Christus magnus omnium pastor a mortuis rediit. 20. Kierling, de Leontio Episcopo Antiocheno doctrinam ecclesiasticam Rost. 21. Tatorius, de lege ceremoniali.
8. Fridrich (Samud.) Zickler de intercessione Christi sacerdotali. 22. eundem, de lege divina et speculatione de lege naturali.
9. Weise (Wih. Fried.) de scientia Dei media ex principis rationis et scripturae 23. Hoffmann, de Iuris N.T. 2. Sect. 2. 9-13. et Iudae 28-30 per continuam analogiam sive et huiusmodi expenduntur.
10. Müller de notione illa, animam mortuam esse et dici in eorum cliv. daemoneum etc. 24. Cotta, de novissimis speculationum de morte naturali.
11. Müller (Jon. Keph.) de generibus, cum 26. Hoffmann, de concubio typico Salomonis cum filia Pharaonis.
12. Angenius (Jon. And.) exercitatio philologica in regum XVI cap. 27. eundem, de consultatione Dei cum angelis de conc. endo. Romine ad Gen. 1. 26.
13. Frommann (Erbard And.) disputatio theologica sua super Pauli Ap. Lazari in vitam nobilitatum a criminatioribus philosophi novissimis.
29. eundem, de Jesu Deo et homine etc.
30. eundem, paradisi N.T.

2.
3.
18.
7-29.
90.
8. 1.
9.
10.

- 31.) Hinderburg, specimen animadversionum
philologicarum criticarum etc.
- 32.) Grabar, de sitonivae numine
cello et culta praefaty.
- 33.) Hoffmann, de officiis humanitatis eorum
obligatione.
- 34.) Bel, de Ottone II. Garfio etc.
- 35.) Leifer, de ritum antiquorum investiga-
tionem non esse edilem.
- 36.) Krigel, de Theophrasto optimo Pediti
coniugis magistro aduerrimum
notationum Theophrasti editionem.
- 37.) Schroechius, de physica et ciuili the-
ologia.
- 38.) Clodius, praefata eloquentiae Romanae.
- 39.) Nagelius, privilegium vitae Eliae
Leuitae germanicam particula
libri eius Chasoret Hammagoret
completes.
- 40.) eundem. de libris Chasoret Hammagoret.
- 41.)
- 42.) Willius, de rustitia Dei.
- 43.) Nagelii, de amphalium iudicanda-
rum difficultate.
- 44.) Bret, abiaratio I. Petri Janssonii etc.

DE
CONNATIO TYPICO
SALOMONIS
CVM FILIA PHARAONIS

IN VIGILIIS FEST. PENTECOSTES

AN. MDCCLXII

DISQVIRIT

D. CARL GOTTLÖB HOFMANNVS

S. S. TH. PROFESSOR PRIMARIVS SVPERINTEND.

GENERAL. ETC.



VVITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

DE
CONNVBIO TYPICO
SALOMONIS
CVM FILIA PHARAONIS

IN VIGINTI PRIST. TENT. COSTES

AN. MDCCLXIII

D. 130. V. 17. T.

D. CARL GOTTLOB HOLMANNVS

2. 2. TH. PROFESSOR. PHIL. & S. S. INTEND.

GENERAL. etc.



VERO PHARM. GOTTLOB RICHARDI
APRILIS 4. 1718.



DE
CONNATIO TYPICO
SALOMONIS
CVM FILIA PHARAONIS.



nimum hominis christiani mirifice delectat vaticiniorum genus illud in veteri instrumento saepe obuium, quod res et personas noui foederis quasi in umbra exhibet, et ideo ab Apostolo *Σκια Col. II, 17.*

των μελλοντων vocatur. Quo enim occultior, quo abstrusior esse videtur diuina lex de cultus leuitici caeremoniis per Mosen promulgata, hoc maiorem voluptatem capit pius harum aestimator ex institutione de significatione earundem, qua intelligit, quantus splendor sapientiae summi legislatoris ex his vmbreis eluceat, et quam mira sint consilia, quibus Deus fideles V. T. de Christo huiusque ecclesia instituat. Similem sentit oblectationem, dum animaduertit, etiam in re-

A 2

bus

bus gestis, fatis et factis in veteri testamento memoriae proditis, latuisse adumbrationes rerum futurarum N. T. iisdemque diuinam sapientiam praedixisse, quae in ecclesia noui foederis euenire debuerunt, ac suo tempore euenerunt. Res gestae ad aeneum serpentem in solitudine a Mose propositum, fatum Ionae in ventre piscis, Abrahami coniugium cum Sara et Hagare, et aliae in V. T. literarum monumentis consignatae historiae, ex diuina intentione delineabant res gerendas ac euentus N. T. erant enim vaticinia, quibus Deus futura contingentia similia manifestabat, tanquam per symbola, per imagines atque figuras. Quorum notitia adhuc vehementer recreat interpretem mentis diuinae, eumque ad pandenda mysteria voluntatis Dei arcana reddit aptiorem, et vulgo exegetarum sapientiorem atque doctiorem. Vulgus hoc satis habet, si verborum sacrorum qualicumque intelligentia gaudet, nec raro in hac superbit, res autem verbis signatas negligit, de cortice admodum sollicitum, sed de nucleo nimis securum. Ipsa vero definitio sensus S. Scripturae eos abunde docere potest, verborum et rerum intelligentiam fundere id, quod S. Spiritus reuelare intendit, nec esse res a verbis separandas.

Laudanda igitur est illorum industria, qui historias V. T. considerant accuratius, et in sensum earum arcanum, quem vulgo typicum dicimus, inquirunt, cum viros *ῥεοτινεύς* N. T. habeant praecedentes via digito Dei signata. Hos sequi duces et magistros quid amoenius, quid gratius, quid tutius. Tramite, cui sua vestigia impressere Apostoli ipsi, pergere, quid
 lauda-



laudabilius, quid suavius. Sed, quod saepe contigit in scientiis et artibus, ad extrema quaeuis ruit etiam in his sacris assiduitas exegetarum quorundam cum primis recentiorum, qui nimio typorum amore capti tantum non omnia V. T. dicta et facta in typos et rerum N. T. imagines commutant, minimamque similitudinem iactant indicium typicae significationis, et allegorias quascunque, interdum a solo ingenio et arbitrio hominum excogitatas, typorum V. T. appellatione vestiunt. Cui vitio, quod typomaniam dicunt, occurrendum esse in tempore, boni omnes et intelligunt et monent, iure quidem, ne humana figmenta cum diuinis veritatibus, nec ingenii humana somnia confundantur cum his, quae in verbo suo Deus reuelare voluit. Sed, quam magna opus sit cura et prudentia in discernendis humanis a diuinis, et quam sit difficilis ars iudicandi, quae res gestae V. T. praedicere olim debuerint res gestas N. T. seu, quod idem est, quibus factis V. T. certe insit ratio et significatio typica, quibus non insit, variantes interpretum sententiae confirmant. Sit nobis exemplo connubium regis Salomonis cum filia principe Pharaonis Aegyptii, cuius historia sacra meminit 1. Reg. III, 1. XI, 1. et quod, quia singularissimum est, nonnullos permouit, a) vt in hoc relationem typicam quaerent, et de significato arcano matrimonii ad aeternam memoriam insignis dispicerent. Agite, CIVES lectissimi, et

A 3

quid

a) E. gr. RIVETVM in commentario in Psalmos propheticos p. 303. 10. van den HONERT in Praef. ad Tom. VII. Biblior. cum Anglican. Interpret.

27. 41.

28. 42.

29. 43.

30.

31. 44.

32.

33.

34.

35.

36.



quid de hoc typico connubio vel affirmandum sit, vel negandum, vel ambigendum, iudicate.

Singulare, immo vero etiam singularissimum diximus connubium sapientissimi regis Salomonis cum filia Pharaonis regis, nec immerito. Deus omni matrimonio cum profanis interdixerat populo suo, sed Salomo diuinam prohibitionem spernit, et Aegyptiam vxorem ducit: Aegyptiam, inquam, quae non modo profanis annumeranda, sed et inimicis populi Israëlitici hostibusque iuratis veri Dei cultus. Non deerant in ipso populo Israëlitico, quas Salomo illaesa diuina lege, salua religione et sanctitate, in matrimonium ducere potuisset: praeterea aliorum regum vicinorum filiae aderant, vt Hiram Tyrii, cuius amicitia maxime vsus est, aliorumque principum virorum in gentibus exteris. Quid mouit Salomonem, vt Pharaonis filiam anteferet caeteris omnibus? Causas interferunt politicas nonnulli cum POLO, et WELLSIO, Salomonemque potentis Aegyptii regis ac regni amicitiam sibi conciliare voluisse, vt regnum haereditate a patre acceptum fortius tueri, hostiumque potentiae et fraudi resistere facilius posset.

Quam si Salomo respexisset rationem, nondum intelligeremus, quomodo cum sanctitate eius conciliari posset neglectus prohibitionis diuinae, siquidem mala facienda non sunt, vt inde eueniant bona. Deus prohibet matrimonium cum peregrina atque externa, Salomo autem, vt regnum sibi confirmet, spernit interdictum Dei, et ducit filiam regis Aegyptiorum, cuius ex terris Deum duxisse quondam subditos suos,
et

et a tyrannide Aegypti liberaffe, optime nouit: quis haec putet veri similia. Alii etiam tunc temporis ex-
 tabant reges vicini, a quibus id non erat metuendum,
 quod ab Aegyptio. Cum his contrahere poterat ami-
 citiam minus nocentem et securiorem, quam cum eo,
 qui sibi ius in subditos Salomonis vindicare, et id
 hoc nouo connubio stabilitum credere poterat.
 Ne quid dicam de fiducia in Deo, non in hominibus
 habenda ab hoc, qui pietatis eximia et reuerentiae
 in numen diuinum laude gaudet vt Salomo. Pro-
 missione diuina et sibi et patri saepe facta, de regno
 confirmando atque conseruando, tutior niti poterat,
 quam omni hominum potentia et amicitia. Fac
 etiam, Salomonem connubio hoc potentem Pharaonis
 amicitiam et societatem sibi conciliare voluisse, nec re-
 pugnaſſe talem prudentiam fiduciae in Deum, tamen
 restabit quaestio, num legi diuinae de non ducendis
 vxoribus peregrinis aduersum fuerit connubium cum
 Aegyptia filia principe.

Sunt, qui Salomonem in contrahendo hoc con-
 nubio peccasse quidem putant, ac ideo ad peccata ty-
 pica referendum illud censent, ad *BVDDEI* disserta-
 tionem prouocantes de peccatis typicis. *b)* *RIVETVS*
 citat auctoritatem Hieronymi et Augustini, quos iam
 dudum obseruasse contendit, in re etiam non bona ty-
 pos sanctissimarum rerum et ipsius Dei typos latere,
 exem-

b) *MART. GEIERSVS* Comment. in Psalm. XLV, I. Nuptiae il-
 lae, inquit, Salomonis cum Aegyptiaca, tanquam alienigena,
 hautquaquam adeo extiterunt laudabiles, vt illarum gratiam
 Spiritus Sanctus dictitaret oden didascalicam.

27 41.
 28 4.
 29 7.
 30
 31 44.
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39



Gal. IV, 24. exemplo Ismaëlis vetus testamentum adumbrantis. Sed vniuerse multa cautione opus est in expositione peccatorum typicorum, quae si dantur, accuratius quam vulgo fit, describenda sunt per res gestas impiorum V. T. ad praefigurandas res gestas impiorum N. T. Qua descriptione admitta sponte sua corruit opinio de typico connubio Salomonis, quippe quod putant typum rei Sanctissimae N. T. Durum nimis est et a sanctitate religionis alienum, rem impiam in V. T. a Deo abominatam, debuisse ex intentione et mente S. Spiritus delineare rem in N. T. Deo acceptissimam gratissimamque, et ipsas sanctissimas Christi ecclesiaeque actiones atque res gestas. Boni illi patres, ad quos RIVETVS recurrit, confusi Ismaëlis typo, hominis maxime impii, distinguere inter typos vniuersales et particulares in historiis V. T. neglexerunt, indeque peccata typica confinxerunt. Mosen egisse Christi typum nemo negat, sed in peccato ad petram commisso typum non egit, dedit autem humanae infirmitatis exemplum magno cum Israëlitarum scandalo coniunctum, estque ideo terrae promissae occupatione exclusus. Aaron summus pontifex V. T. typus Christi fuit, nequaquam vero in lapsu grauiori circa vitulum ex lauro confiatum. Idem de Ismaele erit statuendum, nec omittendum, quod in ortu et natiuitate quidem eius ex Hagare serua, non in persona nec in vita eius, typum Apostolus quaerat Gal. IV, 24. 25.

Negant alii, Salomonem in contrahendo cum filia Pharaonis matrimonio peccasse, sed diuersis rationibus innixi. Deum matrimonium cum Aegyptiis



gyptiis mulieribus non prohibuisse verisimile iudicat HONERTVS, licet id cum Moabitarum, Ammonitarum, Idumaeorum, Sidoniorum et Hethitarum filiabus prohibuerit. Nec negari potest, nomen Aegyptiarum mulierum in diuino interdicto Exod. XXXIV, 16. Deut. VII, 7. non legi, sed illorum populorum tantum, quorum regionem et terram occupare debebant Israelitae, et a quorum illecebris et seductione cauere populo suo Deus volebat. Obiiciunt autem alii paritatem rationis, nempe periculum inductionis, quod ab Aegyptiis aequae quam a caeteris profanis gentibus metuendum. Crimine omnino absoluunt Salomonem, qui eius matrimonium cum filia Pharaonis a Dauide patre pietissimo comprobatum, et Psalmo XLV. collaudatum esse existimant. Etenim sibi persuasum habent, Dauidem occasione matrimonii filii sui cum filia Pharaonis carmen illud sanctissimum cecinisse, inque hoc epithalamio mysticam significationem connubii singularis exposuisse. CALVINVS, SOCINVS, GROTIVS, et horum asseclae hanc opinionem a Iudaeis dudum prolatam faciunt suam, et totum psalmum de nuptiis Salomonis cum filia Pharaonis ad literam exponunt, typice vero et sensu, quem vocant sublimiorem, ad Messiam transferunt. Quo fit, ut Salomonem in hoc matrimonio non peccasse, cum GROTIUS censeant. Aegerime fert RIVETVS, id Lutheranos quosdam doctores vitio vertisse CALVINO, ipse tamen veritatis vi coactus fatetur, carmen hoc nuptiale de spiritali connubio Christi et ecclesiae esse ad literam accipiendum. Satisfecit huic opinioni Iudaicae CALOVIVS noster. c)

B

Dau-

c) In Bibl. Illustrat. Tom. I. p. 1002. et p. 1013. ubi etiam Ri-

27. H.
28. H.
29. H.
30.
31. H.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.



l. c. p. 336.

Dauidem hunc Psalmum occasione nuptiarum Salomonis composuisse dicitur quidem, at non probatur: multo autem verisimilius esse, post obitum Dauidis Salomonem iniisse matrimonium cum filia Pharaonis, docet filum historiae in primordiis Libri de Regibus prioris. Hinc RIVETVS ipse negat, admonitionem v. xi. obuiam, *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam*, ad Dauidem referri posse, quia *Dauid obierat, cum initum est a Salomone illud matrimonium cum Pharaonis filia*. Quod si etiam viuis adhuc fuisset Dauides, cum Salomo uxorem Aegyptiam duceret, nondum inde concluderetur iure, in nuptiis Salomonis hoc carmen scriptum esse, potuit enim alio quouis tempore spirituales Messiae desponsationem cum ecclesia cogitare et carmine sacro celebrare, atque simul connubii filii sui recordari, quemadmodum Esaias, Hoseas, Apostoli, et nos ipsi Christi mysticas nuptias saepius cogitamus et laudamus, etsi nullo nuptiarum apparatu excitati.

Maiori specie veri affirmatur, Salomonem in contrahendo hoc matrimonio non peccasse, ex eo, quod S. Spiritus, posteaquam huius coniugii mentionem fecerat 1. Reg. III, 1. proxime sequentibus commatibus 3. 5. 6. sqq. summis laudibus effert pietatem sanctitatemque Salomonis, eumque a pietate parentis sui non deflexisse, diuina immediata apparitione, imo vero etiam amico colloquio cum Deo dignatum esse, commemorat. In primis nos mouet assertum clarissimum v. 3. Deum dilexisse Salomonem, etsi

ueto respondit, qui suam cum Caluini hypothese combinare frustra laborauit.



etsi in hoc matrimonio viuentem, ideo quod in praeceptis Dauidis ambulauit, illo vno excepto, quod in excelsis immolauit. Certe, si quis locus est, vbi S. Spiritus lectores de peccato Salomonis in matrimonio mone- re et potuisset et debuisset, hic ipse esset. Tacet non modo, sed et Salomonem laudat, postquam de eius coniugio v. 1. 2. meminerat, a singulari pietatis studio et ab imitatione patris Dauidis v. 3. nec aliud quid in eo desiderat, quam quod in excelsis hostias Deo obtulit templo nondum exstructo: quae singula fieri non potuissent, si illicitis nuptiis tunc se Salomo commaculasset. Celebr. DIETELMAIERS in annot. ad I. Reg. III. excipit quidem, ex his laudibus Salomoni a S. Spiritu tributis consequi nihil, nisi quod Salomo, inuito licet hoc matrimonio incauto et periculoso, gratiae statu non exciderit. Quasi nuptiae a Deo seuerè prohibita ex statu gratiae non excluderent. Salomò diuinum interdictum non ignorauit: qui sciens volensque Dei interdictum spernit et in illud proaereticè peccat, immo vero etiam peccatum hoc quoad viuit continuat, num hunc gratia apud Deum valere dixeris et in statu gratiae manere. Nihil certius, nihil verius est, quam quod homo in peccato voluntario contra clarissimum Dei effatum commissio perseverans, Deo displiceat. Sed Salomo cum filia Pharaonis copula iunctus placet Deo, adeo placet Deo, vt etiam diligatur a Deo multisque laudibus exornetur, igitur matrimonium illud Deo non displicuit, nec vitii nota erit ipsi inurenda.

v. Engellaend.
Bibelw. Tom.
IV. p. 52.

Qui vero placere potuit Deo matrimonium cum Aegyptia contractum? Iudaei fere omnes perhibent,

B 2

filiam

27 41.

28 41.

29 41.

30

31 44.

32

34

35

36

37



filiam Pharaonis patriam superstitionem dimisisse et veram religionem Salomonis esse amplectam. Licita enim fuisse matrimonia cum vxoribus a gentilismo ad verum Deum Israelis conuersis, dubio caret, et a SELDENO pluribus affirmatur de iur. nat. et gent. L. V. c. XV. Testimonio sit matrimonium Iosephi cum Afenatha Potipherae filia, pontificis Heliopolitani, Gen. XLVI. 20. et Mosis cum Zipora, filia Midianitici sacerdotis, Exod. III, v. Etiam plerique interpretes christiani, ac recentissime theologi Anglicani in suis ad 1. Reg. III. annotationibus, et HONERTVS in praef. ad Tom. VII. harum annotationum, hanc tuentur religionis commutationem. Magnus GROTIUS Pharaonis filiam factam esse legi subiectam affirmat, habetque CALOVIUM consentientem quidem, sed aliis argumentis, quam a GROTIO allatis, commotum. Nec de hac conuersione dubitari liceret, si epistolae inter regem Salomonem et Pharaonem de hac Pharaonis filiae conuersione olim fuissent missae, vt refert EUSEBIUS Libr. IX. praepar. euangel. Sed omnia, quae de hoc filiae Pharaonis transitu ad sacra Israelitarum narrantur, figmentis Rabbinnicis accensentur a BEZA, quem RIVETVS confutare studuit. Nuperrime Celebr. DIETELMAIERS in animaduersionibus ad supra citatos Anglicanos interpretes quoque negauit, Pharaonis filiam ad cultum Dei veri esse conuersam argumentis sat firmis confirmari posse, iisque, quae a PATRICKIO allata fuerant, satisfacere allaborauit. Ingenue profiteamur, PATRICKII rationes pondere suo gaudere tam diu, quam vera sunt, Salomonem post consummatum hoc matrimonium Deo fuisse gratissimum, diuinis colloquiis dignatum, tem-

Engelst. 3.
Bibl. Tom. VII.
p. 302

2. c. p. 302.

ad 1. Reg. III.
Tom. IV. Bibl.
Anglic. p. 52.
et Tom. VII.
p. 661.



templum aedificasse, in viis Domini ambulasse, nihilque praeter id, quod in excelsis immolauerit, in eo a S. Spiritu notatum esse: Fit inde verisimile, Salomonem prius cum filia Pharaonis non cohabitasse, donec eam a patriis erroribus liberauerat, et ad verum Dei cultum adduxerat, atque sic, quod matrimonium iuxta legem Dei impediēbat, remouerat. Nec obstat, quod vulgo opponi solet, Salomonis vxorem 1. Reg. XI, 1. annumerari mulieribus gentilibus a Salomone ductis, a quibus rex sapiens in senectute in deuia deductus est. Etenim haec ipsa Salomonis vxor illo, quem citamus loco, a pellicibus distinguitur satis clare, et additur, Salomonem *praeter filiam Pharaonis* amasse etiam alias peregrinas mulieres, et ab his in senectute ad idololatriam seductum esse, vt vertit IVNIUS et TREMELLIUS, nec non auctor Geneuensis et nouae versionis Anglicanae. Confirmare videtur hanc versionem, quod in sequentibus commemorentur ac recenseantur idola mulierum gentilium, quibus Salomo senex litauit, nempe Moabiticarum, Ammoniticarum, Edomiticarum, Sidoniarum, et Hechiticarum, cum primis idoli Athorethi et Milcomi, Molechi, sed Aegyptii cuiusdam idoli nomen in his non legatur. *Accedit, quod si forte ipsa, inquit RIVETVS, vt varium et mutabile semper femina, pristinam in superstitionem recidit, et ideo in atrum istius loci catalogum eodem sensu, quo alias, relata ipsam videremus, non tamen sequeretur inde, eam initio non fuisse amplexam religionem Iudaicam, ac proinde Salomonem in ea ducenda peccasse, qui certe si cum muliere idololatra et polluta vixisset, idoneus non fuisset, qui templum Dei suis orationibus*

27. 41.

28. 41.

29. 41.

30.

31. 44.

32.

34.

36.

38.

39.



tionibus et sacrificiis consecraret, quod tamen fecit post nuptias illas. Sit igitur, Salomonem etiam a filia Pharaonis ad Aegyptiam superstitionem esse perductum, tamen non prius, quam in senectute accidisset turpis iste lapsus, cum ad auitam idololatriam relaberetur regina: nihil vero impediuit, quo minus antea et Salomo et vxor eius Deum verum colerent, et legem Mosaicam obseruarent.

Entwurf der
typischen Got-
tesgelahrheit.
p. 175.

Oeconomia V.
T. Libr. II.
c. 16. §. III. p.
309.

Nequaquam igitur peccauit Salomo in matrimonio cum filia Pharaonis veram religionem amplexa contracto. Num autem typicam significationem hoc connubium habuerit, vltiorem meretur veri inquisitionem. Quotquot Salomonem typum Christi olim egisse negant, vehementer etiam negabunt typicam huius matrimonii relationem ad tempora noui foederis. Recentissime Celebr. MICHAELIS Goettingensis firmiora desiderauit argumenta, quibus affirmaretur, Salomonem typum Christi egisse, hocque suo desiderio declarauit, certis id et idoneis rationibus asseri non posse. At enim vero indicia satis manifesta extare, quibus typica Salomonis relatio ad Iesum Messiam docetur, non solum apparet ex iis, quae MOMMA cum aliis attulit, sed etiam clarissime ex eo, quod Messias nomine Salomonis Sponsi salutatur, ipsiusque dies nuptialis eximie celebratur. *Prodite et spectate Sioniae filiae Salomonem coronam gestantem, quam sua mater eius sponsaliorum et animi voluptatis die coronauit.* Cantic. III, 11. His verbis sub Salomonis figura et nomine exhiberi Christum pacis principem, quis non videt. Festum etiam nuptiale Salo-



Salomonis per metaphoram exhibere desponsationem Christi sponsi cum ecclesia sponsa, haec ipsa Cantici verba declarant apertissime. Nonne ergo manifestum erit, Salomonem eiusque nuptias, quas cum filia Pharaonis celebrauit, repraesentasse et in typo exhibuisse matrimonium spirituale, quod Christus cum profanis gentibus in conuersione vniuersali ad se patremque suum contraxit, et in desponsatione mystica, cuius iterum iterumque in sacris paginis mentio fit, Eph. V, 32. Hof. II, 19. 20. 2. Cor. XI, 2. Apoc. XIX, 7. Matth. XXV, 10. confirmauit. Qui magis firmum et indubium postulat indicium typi, nae is nodum in scirpo quaerit. *Certum est*, inquit OSIANDER ad h. l. *Salomonem in sua maiestate fuisse typum Christi*. Absit, vt cum GROTIUS verba Cantici allegata ad literam de nuptiis Salomonis cum filia Pharaonis accipiamus, et sensu sublimiori ad Christum huiusque ecclesiam accommodemus, tamen metaphoram ab his Salomonis nuptiis desumptam esse, in aprico iacet, indiciumque typi negari nequit. Hymnus Dauidis septuagesimus secundus canit totus Messiam et nomine et persona et regno Salomonis condecoratum. In initio signat Messiam nomine Salomonis, v. 1. nec est, vt titulum Psalmi trahas eo, ac si Salomo Psalmi auctor censendus esset, etenim finis eiusdem demonstrat, Dauidem esse auctorem, non Salomonem. *d*) Postea hunc Salomonem regis filium ita describit hieropsaltes, vt facile intelligatur, multo sublimiorem illo filio regis Dauidis insigniri, cum talia et de proprietatibus virtutibusque et de regno suo prae-

d) Vid. MART. GEIERSVS in Commentar. ad h. Ps.



praedicet, quae in hominem nudum cadere non possunt. Placuit ergo S. Spiritui, sub Salomonis persona saepius exhibere menti nostrae Messiam, et ipso hoc docere, vt, quoties gloriam Salomonis cogitemus, simul etiam coelestem Salomonem respiciamus, auctorem aeternae pacis Dei cum hominibus, et verum ideo Salomonem principem pacis, Esa. IX, 6. Quid autem est typus nisi res et persona V. T. quae ex intentione S. Spiritus personam quandam et rem N. T. simul exhibere debet. Intendit S. Spiritus per Salomonem aetate V. T. repraesentare eum, qui Salomone maior. Matth. XII, 42. Salomonem itaque annumerare licet typis, et quidem particularibus, non vniuersalibus, excepto nempe lapsu grauiori aetatis, vt supra monuimus.

Nec affirmare dubitamus, nuptias connubiumque Salomonis cum filia Pharaonis debere typis V. T. accenseri. Singulare et plane inexpectatum omnibus, qui summam Salomonis pietatem summamque gratiam, qua apud Deum valuit, pensant, est hoc connubium cum Aegyptia: sed singularia et insperata heroum fidei facta omnium in se conuertunt admirationem, et accuratorem facti insueti considerationem requirunt: in primis si factum legi diuinae aduersari videtur, cui tamen pii semper fuere audientes. Quamquam autem exinde concludere non liceat, omni insolito piorum V. T. facto typum inesse, tamen certissimum est, singularem rationem et grauem causam adesse vbiq̄ue, qua S. Spiritus motus eiusmodi facta literarum monumentis prodidit. Connubii Salomonis cum filia Pharaonis meminit sacer codex, profecto non sine causa. Ecquae vero causa? Nisi nos omnia fallunt, haec causa
ex



ex Cantico Canticorum aperte constat. In hoc rex noster Salomo coelestis sistitur vt sponsus, qui se desponsat amicae, quam cum *equitio iuncto curribus Pharaonis* comparat, c. I, 9. vel cum equitatu in curribus Pharaonis, vt habet Vulgata versio: quam *fuscā* vel nigram, attamen formosam dicit, c. I, 5. 6. quam porro בת־גְדִיב *filiam principis et regis* appellat, c. VII, 1. vt vertunt SYMMACHVS, AQUILA, LVTHERVS. Quae singula similitudinem a filia Pharaonis, vxore Salomonis, desumptam referunt, et satis produnt, in connubio Salomonis cum Aegyptia altiora latere.

Existimamus igitur, eo praefiguratam esse conuersionem gentilium ad verum Israelis Deum. Sicuti Salomo peregrinam duxit in matrimonium, quae a filiabus Sionis ante quidem distincta, post hac cum his coniuncta Deum coluit, sic etiam IESVS gentes iure Israeliticae ciuitatis exclusas secum matrimonio spirituali copulauit, populumque sibi desponsauit aliquando peregrinum, superstitioni deditum, idolis addictum, nunc autem ad sacra Dei veri adductum et verae religionis scientia gaudentem. Refert Salomo sponsus personam nostri Sospitatoris, *nostrae pacis, qui ex ambobus vnum fecit, septique interstitium abruptit et inimicitias, legem praeceptorum in placitis positam, in sua carne aboleuit, vt in sese ex duobus conderet vnum nouum hominem faciendo pacem, et ambos vno in corpore reconciliaret Deo per crucem.* Eph. II, 14. 15. 16. Filia Pharaonis refert imaginem ecclesiae e gentibus peregrinis Christo desponsatae, atque matrimonio spirituali coniunctae. Vtrumque probatur abun-

C

de

27. 41.

28. 41.

29. 41.

30.

31. 44.

32.

33.

34.

35.

36.



de ex contentis Cantici Canticorum, in quo oratione figurata, sensu tamen literali (non mystico, ut vult GROTIVS) Christus sponsus habitu regis Salomonis, ecclesia sponsa habitu et imagine filiae Pharaonis, apparet, id quod mox ostendimus, omnesque fere Patres ecclesiae primitivae docuerunt. Addimus, acclamationem illam solemnem c. III, 11. discernere ecclesiam sponsam a filiabus Sionis et a matre Salomonis. Adstat sponsus Salomo die nuptiarum corona ornatus, sed a qua? a matre: a quibus vero aspiciendus et admirandus? a filiabus Sionis, quibus sponsa amicum suum conspiciendum ostendit. *Proдите et spectate, Sioniae filiae, Salomonem coronam gestantem, qua eum sua mater eius sponsaliorum et voluptatis die coronavit.* Si per matrem cum plerisque interpretibus intelligis synagogam Iudaicam, vel gentem Iudaicam, ex qua Salomo coelestis το κατά σαρκος natus, Rom. IX, 5. et a cuius sede, Zionis puta monte, exiit gloria et splendor euangelii Christi ad omnem usque orbem, Esa. II, 3. coll. Luc. XXIV, 47. intelliges facile, diem nuptiarum Salomonis coelestis esse felicissimam gaudiique plenissimam periodum conversionis gentilium. Sponsa enim huius Salomonis non pertinet ad filias Zionis, sed ab his distincta alloquitur filias Sionias: nec habet sponsam eandem quam Salomo matrem: igitur peregrina et alia ex gente in matrimonium a Salomone coelesti ducta. CALOVIVS noster coronam, qua mater filium coronavit, accipit vel de corona passionis spinea, vel de corona exaltationis et gloriae, cuius Paulus Ebr. II, 9. meminit, qua ipse δια το παθημα a matre secundum carnem, nimirum a Synagoga Iudaica, quia ex Iudaeis oriundus est, etsi in-

teritum

Bibl. Illustrat.
I. p. 1272.



teritum eius et excisionem vnice intendente, coronatus est. Quo pacto coronam gloriae a Patre accepit quidem, sed interuentu matris et coronae spineae, quia per coronationem matris acerbam reportauit coronam aeternae maiestatis. Phil. II, 9. Ebr. II, 9.

A Cantico Canticorum redeamus ad Psalmum quadragesimum quintum, quem prophetiam de mystica desponsatione, et de mystico connubio Christi cum ecclesia vera continere, vnanimis et Christianorum et Iudaeorum sententia est, teste MVNSTERO, CLARIO, CALOVIO, etc. Ipse Spiritus S. verba huius cantici eiusdemque commatis octauae de Iesu filio Dei explicat, Ebr. I, 8. Quo admissio certum est, ecclesiam tempore N. T. ad Christum conuertendam in hoc epithalamio comparari cum filia Regis, quae parentum suorum obliuisci et domus patris sui, patriamque igitur suam relinquere debuit, vt sponso Christo placeret. *Audi, puella, inquit Dauid rex, interprete CASTELLIONE, vide vt aurem praebeas, et tuos populares patriamque obliuiscare domum, et tuae pulcritudinis amore capietur rex: is enim tuus est dominus tibi colendus.* Detestamur iterum GROTHII sententiam, quod haec literaliter de filia Pharaonis sint accipienda, *MUSIKUS* vero ad ecclesiam Christi transferenda, quae enim in toto hoc cantico sacro de sponso praedicantur, in Salomonem nullo modo quadrant, sed vnice in Messiam, id quod CALOVIUS dudum demonstrauit. Interim negari nequit, et ab ipso CALOVIO contra Grotianam strophem pugnantem conceditur, alludi metaphoricis vel allegoricis quibusdam locutionibus ad Salomonis sponsam filiamque



que Pharaonis : Haec autem allusio dat indicium, connubium Salomonis cum Aegypcia, patriae domus oblita, mysterio non caruisse. Sicuti filia Pharaonis patriam domum patriosque lares reliquit, veroque Israëlis Deo nomen suum dedit, sponso Salomoni ut placeret huiusque gratia frueretur, sic etiam ecclesia Christi ex gentilibus collecta patriam superstitionem auitosque errores dimisit, ut spirituali modo nuberet Christo sponso, suumque nomen daret vero Deo, aeterno Salomonis coelestis patri.

Conuersionem insuper, quam theologi nominant, cum particularem huius et illius hominis peccatoris, tum vniuersalem populorum et gentium, in sacris paginis comparari saepe cum desponsatione et matrimonio, nemo inficias ibit, quemadmodum defectio a vero Dei cultu locis fere innumeris cum adulterio et fornicatione comparatur. Immo vero etiam cum nuptiis filii regis conuersionem gentium comparauit Iesus, ad quos hospites ex triuuis inuitabantur, ut gratiae regis patris participes fierent. Matth. XXII, 1. sqq. Id qui ponderant, facillime animaduertunt, collationem matrimonii Salomonis cum Aegypcia olim contracti et conuersionis gentium ad Christi sacra, inexpectatam non esse, nec a sacris literis alienam. Quae HONERTVS de vnione Christi mystica cum omnibus fidelibus adumbrata per Salomonis nuptias cum filia Pharaonis perhibet, nostra cum opinione amice possunt conciliari : quem enim latet, vnionem hanc sine antecedenti veri Dei agnitione et ad hunc conuersione existere non posse.

*In Praef. ad
Tom. VII des
Engellaend.
Bibelwerkes.*

Iure



Iure itaque Salomonis cum filia Pharaonis connubium dicamus vaticinium reale, vel, si mauis, actionem propheticam, cuius typica significatio in conuersione gentium ad Christum quaerenda est, et cuius his ipsis diebus festis a Pentecoste denominatis memores sumus ideo, quod iis memoria recolitur donorum S. Spiritus, primis euangelii praeconibus praeter ordinem collatis eum in finem, vt ex omnibus gentibus in toto terrarum orbe ecclesiam colligerent, quam ceu sponsam Christo sponso desponsarent, spiritualique connubio iungerent atque adunirent. Gratias agamus Deo immortali, CIVES DILECTISSIMI, qui iam in veteri oeconomia fideles per typicum Salomonis connubium futuram gentium conuersionem docuit, hanc felicitatem nouo in foedere admirandum in modum gentibus largitus est, nosque omnes et singulos eadem beauit. Etenim nos ipsi illi sumus, qui abiectis gentium idolis, templis, sacrificiis, aris, sacerdotibus, erroribus, cunctisque patriis ritibus autam superstitionem redolentibus, nunc coelesti Salomoni, IESV CHRISTO, sanctissima copula iuncti sumus, vt his maxime solemnibus pristinae ad Christum conuersionis maiorum nostrorum memores, verba praeeunte ecclesia latina, laetissime Deo S. Spiritu carmina dicamus, menteque sanctissimo flamine consecrata rogemus, vt *repleat suorum corda fidelium, qui per diuersitatem linguarum cunctarum gentes in vnitatem fidei congregauit.*

Agite igitur, CIVES OPTIMI, hisque diebus festis in aede sacra diuinitus flammis erepta, et praeter opinionem ab interitu seruata, frequentes laudes Deo canite,

27. 41.

28. 41.

29. 41.

30.

31. 44.

32.

33.

34.

35.


36.




canite, felicitatem in mystica cum Christo vnione, tanquam in spirituali connubio, vobis per S. Spiritum collatam venerabundi agnoscite, verbique diuini praeconibus consueto ad aram munusculo ostendite, vos grauitatem atque excellentiam intelligere beneficii.

Fundite etiam preces ad coelestem Salomonem pro PATRE PATRIAE, pro HVIVS REGIA STIRPE OMNI, pro Serenissimo PRINCIPE HAEREDe huiusque CONIVGE virtutibus summis ornata, maxime clementia in subditos, laudibusque aeternis celebranda, vestraque vota ne adulatorum more concipite, qui, vt sibi potentum gratiam concilient, clypeis fortium tecti aliis hoc securius insultaturi, ampullas et sesquipedalia verba in votis ac precibus proiicere, pietatem ac venerationem summorum virorum oratione splendida iactare, attamen praeter vtilitatem et gloriam propriam nihil quaerere solent: sed ex animi sententia pro REGE et REGIA DOMO orate, memores *1. Tim. III, 1.* apostolici moniti, vt fiant *supplicationes et interpellationes pro regibus et omnibus potestate pollutibus*, vt tranquillam quietamque vitam agamus sub tutela SALOMONIS nostri pacifici, et proxime a malo, quod nos adhuc premit et angit, liberati Deum pacis carminibus odisque celebremus.

P. P. in Academia Wittebergensi
IN VIGIL. PENTECOST. A. R. S.
CLC MCCC LXII.



PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYFIS.





§. XIX.

Abiuratio de uehementi.

PETRVS IANNONIVS, filius defuncti SCIPIONIS, Neapolitani aetatis annorum 66, personaliter in iudicio constitutus, genuin Fratrem multum Reu. Vicario generali S. officii Taurinensis. Quos habens SS. Euangelia, quae propriis manibus tango, semper crediderim, nunc credam, et auxiliante Deo firmum sim crediturus id omne, quod S. catholica Apostolica ecclesia statuit, credit, praedicat et docet. Sed quia a S. officio eos valde suspectus fui iudicatus, quod libros praelo commulta alia scripta composuerim, digna graui censura, sciam regni Neapolitani ciuilem, doctrinis refertam propositis falsis, temerariis, scandalosis, calumniosis, S. fedi et religionis; quod MSCtum contra P. FELICEM Iesuitam euulgatum *Professione di fede*, qui meam historiam impugnat, ut mea comparitione; quod Venetiis opus sparserim sub titulo PERVENTINI, propositionibus scandalosis, falsis, temerariam, contra iurisdictionem ecclesiasticam, ut in spontanea comparitione; quod Geneuae fuerim cum intentione ut uiam, prosequendi Voluminum dictae historiae; quod uariauerim de excommunicationibus, tam validis, quam inuoluntariorum prohibitione, ut in spontanea mea comparitione; quod scripserim de concubinato antiquitus permisso; quod a MSCta tenuerim, continentia propositiones contrarias ut in spontanea mea comparitione; ideo ego, uehementem a me suspensionem sublaturus ex mente fidelium, iustis de causis, abiuro, maledico et detestor dictos errores, et genes et qualescunque errores, sortilegium et haeresin, quae a apostolica Romanae ecclesiae contradicat, et iuro, me neque facturum, neque dicturum quidquam, ex quo talis suspicio possit oriri, nec cum haeticis me conuersaturum

